

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Abstinencia ag  
cum fonte primo

Nichil sic iocundum est  
ut cibus bene digestus ac decoctus,  
nichil sic ad salutem,  
nichil sic sensuum acumen operatur,  
nichil sic egritudinem fugat, ut moderata refectio.  
Sufficiencia quippe cum nutrimento  
et sospitate simul etiam procreat uoluptatem,  
exundancia uero morbum facit  
et molestias ingerit et egritudines generat.  
Quod enim facit fames,  
hoc etiam facit plenitudo ciborum,  
magis autem peiora.  
Fames quippe in paucis diebus aufert hominem  
et liberat ex hac uita penali,  
excessus uero ciborum consumit  
et computrescere facit corpus humanum  
et macerat egritudine diurna  
et tunc eum morte crudeli consumit.

Crisostomus super Hebreos sermone XXIX.

Sufficientia quippe et nutrimentum et voluptas est:  
nihil enim sic jucundum est,  
sicut cibus bene digestus et decoctus:  
nihil enim sic salutem,  
nihil sic sensuum acumen operatur,  
nihil sic aegritudinem fugat, sicut moderata refectio.  
Sufficientia quippe cum nutrimento  
et sospitatem simul etiam procreat et voluptatem:  
abundantia vero morbum facit,  
et molestias ingerit, et aegritudines generat.  
Quod enim facit fames,  
hoc etiam plenitudo facit ciborum,  
magis autem multo pejora:  
fames quippe in paucis diebus aufert hominem,  
et liberat ex hac vita poenali;  
excessus vero ciborum consumit,  
et putrefacit corpus humanum,  
et macerat aegritudine diurna,  
et tunc eum morte crudeli consumit.

Iohannes Chrysostomus, *In epistolam ad Hebraeos homiliae Mutiano scholastico interprete*, 29 (PG 63, col.425/426).